

10
811
1795,8

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
**DEPOSITIONE
IVDICIALI DEBITI CAMBIALIS**
PRAESERTIM
EX IVRE HAMBVRGENSI.

Q V A M
AVSPICIIS REGIIS
AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQUENDIS
PROPONIT
DIE VII. MART. MDCCXCV
PETRVS AVGVSTVS WIDOW
HAMBVRGENSIS.

GOTTINGAE
SCRIPTIS BARMEIERIANIS.

DIGESTATIO INAGARIA IAVIENSIS
DEPOSITIONE
INDIAE DEBETI CAVILLIS
EX IARIE HUMARERST
ASYLICUS KESI
ACADEMIA AVASTA
PRO SUMMA IN ALTOGAE UTE HONORIBVS
HISTORICO
DIE ALI MART MCCXCA
PATER AVASTAS MIDON
COTTINGER
SOCIETATIS HISTORICAE

SACRI ROMANI IMPERII

LIBERAE ATQUE INCLYTAE

REIPUBLICAE HAMBVRGENSIS

SENATI

SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIMO

VIRIS

MAGNIFICIS, PERILLVSTIBVS,

CONSULTISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,

PATRIAEE PATRIBVS

PATRONIS ET FAVORIBVS
SVIS INDVLGENTISSIMIS

HAECCE

STUDIORVM SVORVM CONAMINA

EA, QVA DECET, SUBMISSIONE ET REVERENTIA

OFFERT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS
AVCTOR.

DE
DEPOSITIONE IUDICIALI DEBITI CAMBIALIS,
PRAESERTIM
EX IVRE HAMBVRGENSI.

INTROITVS.

§. I.

De instituti ratione.

Rigor iuris cambialis omnes fere debitoris contra literas cambiales recognitas exceptiones respuit, et creditor i copiam dat certimae executionis, quam vel ad arrestum personae extendere licet. Neque ordinarie audiendus est reus, si ad deponendam valutam fese offert ^{a)}; nec si petit, vt, antequam solvat, a creditore cautio praesletur. Dantur tamen casus, in iure cambiali sigillatim excepti,

^{a)} Vid. Respons. Scab. Lips. apud I. G. SIEGEL in corp. iur. camb. tom. II. pag. 192. Cf. RAVMBVRGERI Iustitia selecta. cap. LXIII.

§. 8.

A

in quibus utrumque sese aliter habet. Depositionis decernendae causae et fundamenta ex ipsis legum cambialium fontibus haurienda; quibus deficientibus, ad analogiam iuris communis, vel ad rei naturam respiciendum. Ceterum rationes, quae depositionem suadent, licet multisariae, omnes ad securitatem illius, cuius interest, spectant. Eum autem, qui depositionem cupit, plerumque proferre oportet argumenta, quibus iudex persuadeatur, rigorem iuris cambialis suspendendum, lenioremque modum procedendi eligendum esse. Cavendum tamen, ne partium iuribus quid detrahatur; neque depositio inique et intempestive aut concedatur, aut denegetur. Operae igitur pretium duxi, casus, praecipuos saltem, recensere, in quibus debitu cambiale iure sit deponendum, et inde huius dissertationis inauguralis argumentum querere, quam, licet mancam et imperfectam eam esse me non fugiat, in lucem tamen emittere audeo, fretus spe, fore ut ea lenes et indulgentes experiatur censores, qui defectus erroresque cum temporis, tum virium angustis benevole tribuant.

Pauca sunt, quae de depositione debiti cambialis iam scripta esse inveni. Extant quidem duae dissertationes, hanc materiam tractantes, altera a SIEGELIO b), altera a GOEBELIO c) edita; vtraque tamen

b) Ioh. Gottl. SIEGEL de fundamento iudicialis pecuniae depositio-
nis in processu cambiali iure electorali saxonico admittendae. Lips.
1725. in Ioh. Melch. Gottl. BESECKE thesaur. iur. camb. P. II,
pag. 1018, seqq. (Berol. 1783. 4.)

c) Ioh. Wilh. GOEBEL de depositione pecuniae iudicialis in processu
cambiali obueniente, cum solutione coniuncta, Helmst. 1726. in BE-
SECKE l. c. pag. 1034. seqq.

tamen parum auxilii mihi attulit. SIEGELIVS, missis aliis, praesertim de depositione, ob reconuentiōem admittenda, agit, subiiciens nonnulla de eo, qui illi renunciauit; GOEBELIVS vero in singulari versatur casu, id agens, ut demonstret, dominium debiti cambialis depositi penes debitorem haud remanere, sed ad creditorem transferri. Deficiunt maiora, eaque singularia de meo argumento opera. Eo diligentius quae in praefantioribus, qui de vniuerso iure cambiali aut potioribus eius capitibus scriperunt, auctoribus, de depositione passim leguntur, perscrutatus sum, exhibitis praecepsis ordinationibus cambialibus, maxime tamen habito respectu ad ius, quod in nostra civitate obseruatur.

Separauit res, prouti depositio ad instantiam vel debitoris, vel creditoris, vel tertii, vel denique ex officio decernitur; unde opusculum hoc in quatuor sectiones diuisum est. Prima, de depositione ad instantiam debitoris decernenda agens, prolixitate ceteras longe superat; depositio enim maxime huic expedit, ad rigorem iuris cambialis, ei instantem, vel omnino auertendum, vel certe in aliud tempus differendum. Antequam vero in singula descendam, generalia quaedam praemittenda mili iumentur.

Depositio valutae olim debitori, etiamsi securitati ipsius propiciendum esset, rarius concedi, sed loco illius solutio sub cautione creditoris praestari solebat; id quod appetet ex omnibus fere antiquioribus legibus cambialibus, ex quibus vnum, quod in promptu est, sufficiat attulisse exemplum, occurrens in ordinatione cambiali, quae in nostra ciuitate d. 2. Mart. 1711. promulgata est, quam

si a capite vsque ad calcem perlegas, nullam in ea depositionis mentionem factam inuenies. Recentiori tempore autem depositio sensim vnu inualuit, cautioni creditoris praelata; quod nostrae leges itidem testantur *d*). Conspirant ordinationes cambiales ad nostram aetatem proprius accedentes; pariterque nouum corpus iuris borussici *e*) depositioni fauere videtur. Quo factum, vt et in delineatione nouae iuris cambialis ordinationis, quae paucis abhinc annis Hamburgi in lucem prodiit *f*), depositioni plus quam cautioni tributum sit.

§. 2.

d) Vid. Art. ord. camb. an. 1729. d. 10. Nov. addit. Cf. infra, §. 29. not. k.

e) *Allgemeines Gesetzbuch für die Preussischen Staaten*, P. II. tit. 8. sect. 8. quae tota de cambiis agit.

f) Scripti titulus est: *Materialien zu einem vollständigen und systematischen Wechselrecht, mit besonderer Rücksicht auf Hamburg, denkenden Rechtsgeschriften und Kaufleuten zur Prüfung vorgelegt*, 1792. Virorum ad commercii florem augendum deputatorum nomine illud concepit Georgius Henricus SIEVEKING, eo tempore praeses huius deputationis, vir in negotiis ad mercaturam spectantibus optime versatus, cuius rei haec delineatio insigne praebet documentum. Eum autem in finem scriptum in vulgus editum est, vt Icti et mercatores, negotiorum cambialium gnari, adnotaciones et animadversiones, si velint, conferant. Ita sperandum est, fore vt perfecto paucorum annorum spatio respublica nostra talibus legibus cambialibus gaudeat, quae omnes hactenus notas longe antecellant. Quae studia ytinam fausto et felici successu non desituantur!

§. 2.

De commodis depositionis, eiusque praefantia prae cautione.

Quaenam autem sint commoda depositionis, et quare praefenda sit cautioni a creditore praefandae, si queritur, ita respondendum videtur: tam creditori, quam debitori maxima inde parari commoda, quae partim utriusque communia, partim huic vel illi propria sunt. Ad illa refero celeriorem processus executionem; siquidem omnes disceptationes de cautione praefanda: an sit necessaria? an idonea? et quae sunt reliqua, hoc modo euitari possunt. Quotidiana docet experientia, quam ingentes oriantur lites, si cautionis praefatio litigantium cuidam iniungitur. Alter ab illa se liberare, alter eam haud rite nec sufficienter satis praefitam probare studet. Talibus controversiis in processu cambiali eo magis obuiam eundum est, quo magis inde executioni iniicerentur impedimenta, a natura et consilio instituti cambialis quam maxime aliena, et in ipsius euersiōnē vergentia; ne dicam, quantis tumultibus, et quantis molestiis utraque pars inde cumularetur. Haec omnia, depositione valutae decreta, rarissime locum habebunt. Quod autem ad commoda, non ad utramque, sed solummodo ad unam alteramue partem spectantia, attinet, inficias ire nequeo, depositionem expedire praesertim debitori, quippe qui ea fecurus redditur ab omnibus periculis ex cautionis praefatione ipsis oriundis, cum nulla reperiatur cautio, quae sequalem cum depositione afferat securitatem. Creditore e. gr. per fideiūsores cauente, quisnam hos idoneos manus ros certo affirmauerit? praesertim si e mercatorum numero sunt, quorum fortunam casus superueniens ex improviso vacillantem et suspectam

suspectam reddere potest g). Vigilare igitur semper oportet debitorem, num fideiussores adhuc idonei sint, vt, si secus, in eorum locum alii a creditore sistantur. Optimus modus cauendi, per immobilia scilicet, plurimorum creditorum vires superat. Quae vero per res, immobilibus certo modo aequiparatas, praefatur cautio, v. c. per merces obsignatas, securum non reddit aduersarium. Et enim et temporis mora deteriores illas fieri, et earum pretia minui posse constat; praetereaque inscio debitore facile alienantur, eoque modo hic circumducitur.

At depositionem etiam creditori perutilem esse, dictum memini. Summam pecuniae, sub conditione cautionis praefstandae sibi adiudicatae, ante conditionem impletam frustra exigeret, cum condemnatus exceptione inde desunta executionem suspenderet. Maxima vero damna et pericula creditori instant, si inter spatium huius temporis reus bonis laberetur. Nummorum depositio porro creditori illud commodum parat, vt habeat in promptu integrum creditum, neque executionem contra singulos heredes pro rata petere obligetur h).

Ita iudex, depositionem loco cautionis decernens, nec creditor nec debitori iniuriam afferre censendus videtur. Dixeris, creditorem pecunia numerata, qua forsan ipso depositionis tempore maxime indi-

g) Quod obseruat Vinc. BAUMANN in diff. de obligatione heridis ex cambio defuncti debitoris. §. 29. apud BESECKE l. c. P. I. pag. 922. seqq.

h) Hoc etiam monet BAUMANN l. c.

indigeat, iniuste priuari. At quid impedit, quominus praefita cau-
tione idonea depositum recipiat i)? Imo semper, si talem offert,
audiendus est, licet post depositionem peractam temporis aliquod
spatium iam effluxerit.

Depositioni et tunc plus quam cautioni tribuendum esse, si
ob tertii interuenientis securitatem, vel ex officio illa decernitur,
facile ipse videbis, transferendo ea, quae hactenus dicta sunt, ad
eiusmodi casus, proptereaque iusius de hac re agere opus non est.

Supersunt adhuc alia, quae adiici merentur; sed ne in genera-
libus nimis longe subsistam, ad tractationem ipsam me conuento.

i) Vnicam tantummodo exceptionem in nostris legibus fundatam re-
peri, de qua vid, infra §, 13.; quae vero dictis obstat nequit.

SECT.

SECT. I.

QVANDO DEPOSITIO DEBITI CAMBIALIS AD INSTANTIAM
DEBITORIS DECERNATVR.

C A P. I.

QVANDO, ANTEQVAM ACTIO EX CAMBIO INSTITVTA
FVERIT.

§. 3.

Generaliter quedam monentur.

Inter modos tollendi obligationem ius romanum illum refert; si debitor judiciali depositione debiti liberatur, quo ipso iure obligatio tolli dicitur ^{k)}). In qua re tres actus requirentur, qui omnes et singuli ut legitimo modo facti sint, necesse est: scilicet oblatione rei debitae, creditori, acceptationem iniuste recusanti, facta, obsignatio et depositio ^{l)}). Inde autem sequitur, citatione creditoris opus esse, antequam depositio fieri possit. Hunc enim solutionem a debitore sibi oblatam iniuste recusauisse, leges supponunt; aliter autem res se haberet, si iustas, cur recusasset, proferret causas, quae audiendae

^{k)} L. 9. C. de solut. et liberat.

^{l)} LAVTERBACH Coll. Pand. ad tit. de solut. et liberat. §. 41.

diendae essent *m*). Quodsi vero creditor praeuia citatione non comparet, vel si comparet, acceptationem debiti, legitime oblati, iniuste recusat, tunc pecuniam obsignatam debitori deponere permittitur. Quo facto, ab omni obligatione liberatur, ita ut nullas v. c. amplius usuras, nec alia damna, nec casum, si depositum perierit, praeslet *n*).

Debitorem cambialem eodem modo ab obligatione liberari posse, nullum est dubium. Quod non solum ex natura huius negotii fluit, sed fere omnes, quas inspexi, ordinaciones cambiales in eo conueniunt *o*). Respiciendum hic est ad diem solutionis. Quodsi ex tunc cambii vel proprii, vel trassati, modo acceptati, solutio a debitore cambiali non exacta sit, huic iudicium adire, pecuniam ex cambio debitam adserre, eamque ibi deponere licet. Hoc modo ab omnibus obligationibus, ex isto cambio ad eum pertinentibus, liberatur, si modo pecunia in debita qualitate et quantitate debitoque loco deposita sit.

§. 4.

Differentiae inter depositionem vulgarem et cambialem.

Hactenus illud genus deponendi debitum cambiale conuenit cum depositione cuiusque alius debiti. Rursus vero insignes inter utrumque

inter-

m) MEV. P. II. D. 203.

n) L. 9. C. cit. Cf. LAVTERBACH I. c. §. 47. seqq.

o) E. gr. Lips. §. 12. Brunsvic. art. 39. Plutes videlicet apud LVDO. VICI *Einleitung zum Wechsel - Proces.* cap. IV. §. 86.

intercedunt differentiae. Depositio in causa cambiali ob moram creditoris admittenda non requirit, ut iste ad videndum deponi citetur, nec vtrum iustas an iniustas recusandi causas habeat, quaeritur, cum e contrario inscio et inaudito creditore pecunia deponi soleat. Cuius dispositionis rationem FRANCKIVS p) in eo ponit, quod celerimma cambiorum expeditio citationem creditoris non admittat, maxime quoties ignoretur, cui solutio debeatur. Alii in negotiacione collybistica diem pro homine simpliciter interpellare et propterea citatione non opus esse, contendunt q). Debitum cambiale eo facilius inscio creditore deponi potest, cum non, vti iure communi, debitor creditori pecuniam soluendam afferre teneatur r). Plurimae enim ordinationes cambiales creditori solutionem a debitore arcensendam esse statuunt s). De cambiis trasfatis nouum corpus iuris borussici eodem modo iudicat; valutam vero cambii proprii a debitore creditori afferendam esse iubet t). Contrarium in permultis legibus cambialibus de Iudeis sanctum inueni, qui quod ex cambio debent Christianis adferre obligantur u). Quare quae ha-

ctenus

p) In inst. iur. camb. lib. II. sect. 3. tit. 3. §. 4.

q) L'ESTOCQ Erläuterung des allgemeinen und Preussischen Wechselrechts. cap. IV. §. 43. not b.

r) Vid. SIEGEL Einleitung zum Wechselrecht. cap. III. §. 6. ibique alleg. STRYCK disp. de loco solut. cap. I. §. 16.

s) E gr. Ord. camb. Hamb. art. 43. Lipf. §. 12. Boruss. art. 22. Brunsvic. art. 39. Plures vid. apud SIEGEL I. c.

t) Allgemeines Gesetzbuch für die Preussischen Staaten, P. II. tit. 8. sect. 8. §. 873. P. I. tit. 14. sect. 7. §. 769.

u) Ord. camb. Lipf. I. c. Brunsvic. I. c. Wratislav. §. 12. Francofurt. §. 37. Brandenb. art. 33.

clenus de depositione dicta sunt, ad illos promiscue transferri nequeunt.

§. 5.

Continuatio.

Alia porro intercedit differentia eo quod debitori cambiali pecuniam in iudicium adlatam, eamque ibi obsignatam plerumque sibi retradendam curare liceat, cum in depositione, ex iure communis permissa, in iudicio vel alio loco tuto pecunia remaneat, neque debitori reddatur, nisi totum depositionis actum irritum fieri velit v). Qua in re leges cambiales debitorem nimio fauore amplexas esse, videri potest; nihil secius tamen omnes fere ordinationes cambiales, quarum nonnullas exempli causa adduxi x), debitori illud concedunt. — Quæritur fousan: quis sit dominus pecuniae, a debitore in iudicium allatae, ibi obsignatae, posteaque illi retraditae? Dissentunt DD., dum alii ad creditorem transisse, alii penes debitorem remansisse dominium contendant. Quod argumentum cum fusis tractaverit GOEBEL in diss. supra §. 1. allegata, actum agere animus non est. Evidem non possum non assentire virti laudati sententiae, ex qua ad creditorem dominium pertinet. Debitor enim si illud retineret, ab obligatione non liberaretur, totusque igitur actus irritus esset. Quum vero voluntas eius eo tendat, ut ab obligatione liberetur, quod per obsignationem, loco solutionis in iudicio factam, obtinuit, pecunia, quam inde recepit, non aliter ac res creditoris considerari potest. Quæstio haec in primis tunc

B 2

magni

v) L. 19. C. de usur.

x) Ord. camb. Lips. §. 16. Brunsvic. art. 39.

magni momenti sit, quando siue creditor, siue debtor interea foro cedit. Icli Vitembergenses depositum tale massae concursus contra credidorem moti adscribere noluere y). Ex nostra sententia, si debtor foro cesserit, a massa bonorum separandum, si creditor, massae adjudicandum est tale depositum. Quodsi pecunia, post obsignationem iudicialem a debitore recepta, penes eum perierit, casum creditor sentire debet; res enim perit suo domino z); culpam leuisissimam autem a debitore praefstandam esse, nullus dubito. Licet enim depositarius solummodo dolum et culpam latam praestare soleat a); tamen ad exactissimam diligentiam tenetur debtor noster, quia deposito se obtulit, in quo casu leges romanae ad culpae leuisissimae praeficationem obstringunt depositarium b).

§. 6.

Quid utilitatis haec depositio debitori afferit?

Depositio debiti ex iure romano permissa debitorem non solum ab obligatione liberat, sed et alia insuper commoda illi parat. Cursus usurarum enim sisit, et ab illarum praestatione in posterum immunis fit, ita ut creditor usuras nec morae, nec conventionales amplius petere possit. Sed cum in cambiis translatis usurarum mentio haud fiat, vel saltem a debitore, etiamsi absque mora die solutionis creditor haud satisfecerit, non praefstandae fint; depositio ista debitori cambiali parum utilitatis afferre videtur. Atta-

y) Vid. GOEBEL. I. c. §. 12.

z) L. 9. C. de pign. aet.

a) L. I. §. 8 IO. 47. L. 32. D. depositi.

b) L. I. §. 35. D. L. I. C. eod.

men per illam bene sibi consultit. Fieri enim potest, ut inter diem solutionis et solutionem ipsam mutetur moneta. Tunc, si debitor depositus, non praefastat damnum, quod talis mutatio alias illi afferret; creditor enim monetam eo valore, quo die solutionis expendi potuere, accipere et damnum forsan inde oriundum sentire tenetur *c*). Reliqua damna, quae ex creditoris mora ipsi oriri possunt, e. gr. quod, si acceptans die solutionis soluendo fuisse, postea vero bona decoxisset, regreslus contra trassantem illi denegaretur *d*), silentio praetereo, cum ista a scopo nostro plane aliena sint.

Ceterum in arbitrio debitoris positum est, num, solutione debito tempore non exacta, valutam deponere vel obsignatam recipere velit, nec ne. Alter res se haberet, si alicuius loci statuta depositionem debitori iniungerent, qualem ex ordinationis cambialis Brunsvic. art. 39. requiri afferit BECKIVS *e*); sed minus recte fortassis. Quanquam depositio in causa cambiali, ob moram creditoris permittenda, plerumque incio eo suscipitur, haud dubie tamen locum etiam habere potest, si creditor absque sufficiente vel ex iusta causa acceptationem recusat *f*). Tunc vero regulas, in iure communi de depositione praescriptas, obserandas, creditoremque citandum esse, per se patet.

c) Ord. camb. Hamb. §. 43. Lips. §. 12. Brunsvic. art. 39. Brem. art. 46. FRANCK, I. c. Lib. II. sect. 3. tit. 3. §. 6.

d) FRANCK, I. c. Lib. II. sect. 3. tit. 3. §. 2. BECK vollständiges Wechselrecht, cap. VI. §. 55.

e) L. c.

f) Allgemeines Gesetzbuch für die Preussischen Staaten. P. I. tit. 16. sect. 3. §. 218.

C A P . II .

QVANDO DEPOSITIO DECERNATVR POST ACTIONEM CAMBIALEM
INSTITVTAM.

§. 7.

I. Propter exceptiones a debitore prolatas, et quidem A. Dilatorias; nominatim 1. propter exceptionem deficientis legitimacionis ad causam. — Defectus adesse potest: a. in instrumento ipso.

Celerrima executio processus cambialis, plurimas reiiciens exceptiones, dilatorias in primis non admittere videtur. Sunt quoque ordinationes cambiales, quae omnes exceptiones dilatorias in hoc processu exulare statuant g). A permultis tamen iamdudum observatum est, hoc intelligendum non esse, nisi de exceptionibus ad accidentalia processus spectantibus, haud vero de iis, quae ad substantialia pertinent, quibus neglectis, vitia in persona, vel iudicis, vel litigantium, indeque nullitates insenabiles orirentur h); huius generis exceptiones omnino admetti debent. Quamus autem in processu ordinario reus per exceptiones dilatorias interdum a litis contestatione eximatur, saltem condemnari nequeat, priusquam in ea-

dem

g) E. gr. Ord. Camb. Brem. art. 19. Magdeb. art. 4.

h) Hoc inter alios monet vir perillustris, praeceptor ad cineres usque pie colendus, I. CLAPROTH in *Einleitung in sämmtliche summarische Processe*, p. 133. Cf. LUDOVICI *Wechselproces*s, cap. X. §. 2.

dem sententia de dilatoriis pronunciatum sit, in processu cambiali tamen tales exceptions debitori non profunt, nisi quod, executione suspensa, depositio debiti interea illi concedatur.

Ad exceptions dilatorias, in processu cambiali admittendas, primum refero defectum legitimacionis ad causam, qui adesse potest vel principaliter in instrumento ipso, ex quo agitur, vel vnicie in persona actoris. De vtroque separatim agendum. Quod ad illud attinet, certum quidem est, cambio acceptato, acceptantem soluere oportere. Ut vero solutionem secure praestare possit, requiritur, ut actor instrumentum, ex quo agit, iusto et legitimo modo possideat. Quod quidem, si cambium trassatum est, ex indossamentis, modo recte facta sint, facile apparebit. Si vero in serie indossamentorum reperiantur vitia vel defectus, acceptans, incertus, num praesentans iure solutionem exigere possit, nec ne, hanc secure illi praestare nequit. Acceptantem igitur die solutionis maxima solertia investigare oportet, num cambium rite indossatum sit i). Sin in uno alteroue indossamento, vel in serie indossamentorum vitia reperiatur, solutionem praesentanti praestare caueat, quia, si praefliterit, omnia, quae iis, quorum interest, per incuriam attulerit damnna, resarcire teneretur. Iure igitur petit, ut creditor legitimacionem ad causam afferrat, i. e. probet, se cambium iusto modo posidere. Iniquum vero ex altera parte esset, si acceptans pecuniam, die solutionis solvendam, adhuc retineret, quia exinde iusto domino damnum et periculum parari posset. Cauta igitur ordinationes cambiales acceptantem ad depositionem pecuniae adstringunt, donec actor legitimatio-

nem

i) Materialien. u. s. w. §. 238.

nem ad causam attulerit, vel cautionem sufficientem praestiterit *k).* Ordinatio cambialis Hamb. art. 41. praesentanti, idonea praestita cautione, injungit promittere, se iustum indossamentum *l)* praefixo termino exhibitum esse, quo facto acceptantem ad solendum adstringit. Ex hoc art. colligi posse videtur, conditionem depositionis esse, ut praesentans vi iusti indossamenti cambium possideat *m).* Quamprimum vero actor exemplum cambii, iustum seriem indossamentorum continens, vna cum exemplo acceptato exhibeat, depositum sibi tradi iure postulat *n).* FRANCKIVS *o)* præterea, cautelam quasi suasurus, actori consilium dat, ut primum momentaneo processu tantum ad deponendum agat, obtentaque depositione deinde ad depositum consequendum quoconque genere probationum experietur.

§. 8.

k) Ord. camb. Lips. §. II. Brunsuic. art. 43. Norimb. c. VI. §. 3.

FRANCK I. c. lib. II. sect. 3. tit. 2. §. 8. sect. 7. tit. 14. §. 8.

RICCIUS exercit. iur. camb. ex, XVII, sect. 4. §. 17.

l) De requisitis iusti indossamenti vid. KOENIG ad ord. camb. Lips. §. II.

m) Cel. auctor delineationis laudatae quæstionem in medium protulit; num talis conditio statuenda sit, ne ne? vid. Materialien u. s. w. §. 266.

n) Materialien u. s. w. §. 267. Allgemeines Gesetzbuch für die Preussischen Staaten. P. II. tit. 8. sect. 8. §. 1102.

o) L. c. lib. II. sect. 7. tit. 14. §. 9.

§. 8.

b. In persona actoris.

Ob defectum in persona actoris depositio pecuniae, ex cambio debitae, decernenda est, si, quamvis ex instrumento, vitiis carente, agat actor, nondum constet, num respectu personae iure agere possit. Sic v. c. si heres actionem ex cambio, inter bona defuncti reperto, instituit, probandum illi est, se verum et unicum heredem esse, vel in casu plurium heredum, cambium partem partis hereditariae esse, quae ad eum transmissa sit. Antequam hanc probationem attulerit, solutionem exigere nequit, licet debitor interea ad deponendum debitum teneatur. Ita sancit ord. camb. boruss. art. 18. Conspicat nouum corpus iuris borussici, adiiciens, depositionem sumtibus heredum peragendam, debitoremque ad illam admittendum esse, si de legitimatione minus liquida cum illis discepere recusauerit p).

Eodem modo procedendum est, si quis tanquam tutor curatorue solutionem cambii, quod pupillus curandusue possidet, exigit. Quamvis enim petitio statim deferri nequeat, debitor tamen ad deponendum debitum tenetur, donec actor exhibito tutor o vel curatario legitimationem ad causam attulerit. Quae dispositio, licet per paucae ordinationes cambiales eam contineant, cum natura rei, et analogia iuris communis congruere videtur.

Sic

p) *Allgemeines Gesetzbuch für die preußischen Staaten, tom. II.*
tit. 8. sect. 8. §. 894. 895.

C

Sic etiam, si quis tanquam simplex mandatarius alieuius creditoris cambialis solutionem cambii exigeret, nec tamen mandatum perfectum exhibere posset, debitor ad depositionem admittendus es-
set, donec meliori legitimatione sibi prospexerit actor.

§. 9.

2. *Exceptio instrumenti lacerati seu mutilati q).*

Alia exceptio dilatoria, vi cuius debitor a solutione liberatus ad deponendum debitum admittitur, est exceptio instrumenti lace-
rati, seu mutilati ^{r)}. Fieri enim potest, ut post acceptationem
cambii trassati (própria enim cambia hoc pertinere non videntur)
instrumentum laceretur vel disrumpatur, ita ut acceptanti merito ve-
rendum sit, ne regressus contra trassantem vel etiam indossantes
sibi forsitan denegetur, aut saltem difficultius obtineri possit. Quo in
casu optime petere potest, se ad depositionem pecuniae admitten-
dum esse, donec, ex cambio trassantem vel etiam indossantes
sibi satisfacturos esse, persuasum sibi habeat. Quodsi hac occasione
sumtus fecerit, v. c. si lis cum trassante vel etiam indossantibus
inde orta fuerit, eos ex deposito sibi restituendos esse, merito po-
stulat. Cuius culpa enim instrumentum laceratum sit, is damnum
sentire sumtusque ferre debet. In ceteris quid iuris sit circa cambia
disrupta

^{q)} Reus aliquando ex disruptis vel laceratis literis cambialibus solu-
tionem factam probare studet; tunc vero hac exceptione tanquam
peremptoria vtitur, quae igitur me non morabitur,

^{r)} Materialien. u. s. w. §. 417.

disrupta vel lacerata, apud FRANCKIVM ^{s)}, et BERGERVM ^{t)} legi potest.

B. Propter exceptiones peremptorias, quae oriuntur 1. ex deficiente valuta; unde 2. exceptio non numeratae pecuniae.

Ad exceptiones peremptorias, quibus in certis casibus debitor a solutione liberatur et ad depositionem pecuniae admittitur, primo refero exceptionem defientis valutae. Species illius est exceptio non numeratae pecuniae; quare quid circa illum iuris sit et quatenus in processu cambiali locum habeat, nunc dicendum esse forsan videri posset. Cum vero quaestio haece adeo controuerfa, et tam multum inter doctores agitata sit, dum alii ad eam affirmatiue ^{u)}, alii negatiue ^{v)} respondent, alii ^{x)} tandem distinguendo litem dirimunt; fines huius opusculi longe excederem, si integrum istud argumentum hic pertractare vellem. Legi omnino merentur, quae de ista materia vir perillustris, secretarius quondam spectatissimi

C 2. compendia lib. 1. coll.

^{s)} L. c. lib. II. sect. 7. tit. II. §. 10.

^{t)} Part. II. resp. 112. nr. 2.

^{u)} BRUNNEMANN ad L. 5. C. de non numerata pecunia, LAVTERBACH. Coll. Pand. ad tit. de reb. cred. §. 65.

^{v)} BERLICH P. II. D. 294. BERGER diss. de exceptione non numeratae pecuniae aduersus cambia. Vitemb. 1709. apud BESEKE l. c. P. I. pag. 741. seqq. RAVMBVRGER. l. c. cap. 65. §. ult.

^{x)} LUDOVICI l. c. cap. XI. §. 26. seqq. SCACCIA de commerc.

§. 2. gl. 8. num. 1. seq.

collegii Quindecimvirorum, Io. Gottfr. MISLER, conscriptis y), qui summa diligentia et maximo studio disquisivit, quatenus haec exceptio et inter mercatores in processu cambiali locum habere queat.

Mihi quidem sufficiat, casum memorasse, in quo *ex legibus nostratis* z) haec exceptio eum effectum habet, ut reus ad depositiōnem admittatur. Verba legis sunt haec: *Wofern sich aber begäbe, dass ein Wechselbrief solcher Gestalt gestellt wäre, dass der Ausgeber derselben von einem andern die Valuta zu empfangen bekennte, als an den die Bezahlung zu thun darin ordinirt würde; so soll, im Fall der Acceptant die Exceptionem der dem Ausgeber nicht bezahlten Valutae opponiren möchte, und selbiges mit seines Correspondenten, gleich den nächsten Posttag nach beziehener Acceptation, empfangenen Schreiben beweisen könnte, gegen Deposition der Valutae, oder Bestellung genugsaamer Caution mit zweien annehmlichen Bürgen, die Sache zu Gericht verwiesen werden.* Loquitur lex de casu, si in literis cambialibus non illi, qui valutam dedit, vel eius indossatario, sed alii solutionem fieri traxans mandet. Ex verbis prolati clare appetet, exceptioni non numeratae pecuniae tunc locum dari;

y) In diff. de querela et exceptione n. n. p. in cambiali negotio, maxime ad iure hamburgensia applicata. Gießl. 1747. apud BESEKE l. c. Part. II. pag. 1098. seqq. Conspectum huius dissertationis tradit vir perillustris, quondam Protosyndicus hamburgensis meritissimus, KLEFFCKER, in Sammlung Hamburgischer Gesetze und Verfassungen. Tom. VI. pag 638. seqq.

z) Vid. Art. 2. Ord. camb. hamb. an. 1729. addit. Quid alias de hac exceptione leges nostrae statuant, vid. in stat. hamb. P. I. tit. 24.

dari; praeterea autem rigidiiores probationes non requiruntur, cum potius leuorem demonstrationem sufficere, ibi statutum sit. Priuatis litteris enim, quae fidem asserti facerent, plenam probationem non inesse, quis est, quem fugiat? Cui non obstat verbum: *bewiesen*, quippe quod hoc loco aliqualem solummodo probationem haud dubie denotat, vti recte observat MISLER a). Hanc vero exceptio-
nenem cambiis trassatis siue indossatis opponi non posse statuit eadem lex, sequentibus verbis: *Wäre aber ein solcher Wechsel an jemand anders indossirt, findet die Exception, mithin die Deposition oder Caution keine Statt, sondern es ist der Acceptant schuldig den Wechsel - Brief zu bezahlen.* Quae dispositio ex principiis generalibus fluit, ex quibus exceptiones, trassanti vel indossanti obstantes, indos-
fatario opponi nequeunt. De ratione huius sanctionis, et quamob-
rem exceptioni non numeratae pecuniae nostris legibus tanta pree-
rogativa concessa sit, fusius disquirit MISLER laudatus b), quod quidem omnino non superfluum videtur, cum de quibuscumque aliis exceptionibus nihil singulare fancierint leges hamburgenses.

Plures ordinationes cambiales c) exceptionem n. n. p. reii-
eunt, neque, si allegata fuerit, depositionem admittunt, nisi ob re-
conuen.

C 3

a) L. c. §. 25.

b) In diss. cit. §. 25.

c) E. gr. Lips. §. 13. Brandenb. art. 15. Cf. *Reichsschluss wegen Ab- kürzung der Processe in Handelsachen, und besonders in Wechsel- fällen*, de 7 Febr. 1671. in *Sammlung der allgemeinen Reichsge- setze*. Tom. IV. p. 76. et in Io. Ludov. Uhlii contin. I. corp. iur. camb. Siegel. nr. 1.

conventionem, in qua exceptio probari debeat, pecunia deponenda sit, de quo argumento infra §. 20 dicetur.

§. II.

b. Exceptio non exolutae per ultimum indossatarium indossanti valutae.

Ob deficientem valutam acceptans ad depositionem admittendus est, quando indossans de valuta ab ultimo indossatario sibi non soluta illum certiorem reddidit d). Ratio, cur depositio hic sufficiat, non nisi in eo ponenda, vt indossans securitatem habeat, neque ab indossatario circumducatur, quippe a quo valutam nondum solutam forsan haud fine multis ambagibus et difficultatibus interiecis obtinere posset. Requiritur autem: 1) vt cambium iam sit acceptatum; alias enim reus ad depositionem non obligatus esset; 2) vt acceptans literis ab indossante datis in continenti probare possit, indossatarium valutam non exsoluisse; 3) ne cambium ab indossatario non soluente iam vterius indossatum sit, alias haec exceptio, quippe quae tertio opponi nequit, reiicienda, et acceptans ad solutionem condemnandus esset d).

§. 12.

c. Exceptio inde petita, quod trassans, antequam remittens illi valutam soluerit, foro cesserit.

Ob defectum valutae depositio admittenda etiam tunc videtur, si trassans, valuta a remittente nondum soluta, foro cesserit. In

con-

d) KLEFFEKER l. o. Tom. III. pag. 476.

e) Arg. Art. 2. ord. camb. hamb. an. 1729. addit. Vid. 6. praeced.

contrahendo negotio cambiali, si trasfans remittenti cambium dat, saepe inter se conueniunt partes, ne remittens solutionem praestet prius quam cambium eo loco, quorsum missum fuit, debite acceptatum esse sciat f). Remittens in isto casu trasfanti tradit testimonium, quod vocant *Interims-Schein*, in quo constitet, semet cum trasfante de certa summa pecuniae conuenisse, atque per cambium trasfatum pretium recepisse. Plures ordinationes cambiales cum isto modo procedendi confirant. Deficiente vero talis legis dispositione, vel partium conuentione, remittens, accepto a trasfante cambio, huic valutam statim soluere tenetur. Imo complures ordinationes cambiales trasfanti copiam dant, remittentem ad exsoluendam valutam processu cambiali cogendi. Sic et in nostris legibus statutum reperi, vbi verba leguntur sequentia: *Wenn ein Wechselbrief geschlossen, und der Geber nicht gleich die valuta bezahlt, soll gegen seine Person, oder Güter, ohne gerichtliche Erkenntniß, gleich von dem Herrn Praetore auf die wirkliche und völlige Zahlung ohne Unterschied, wie hoch die Summe sey, mit der paratesten Execution verfahren werden g).* Fingas vero, remittentem valutam nondum exsoluisse, ac trasfantem foro coactum fuisse, antequam remittens, cambium transmissum an acceptatum fuerit, nec ne, certior factus sit, num hoc in casu curatores bonorum trasfantis a remittente solutionem valutae postulare possunt? In pluribus ordinatio-nibus cambialibus, sicuti in nostra, de eo altum silentium est. Ex principio iuris communis quaestionem si dirimere velles, dicendum esset,

f) KLEFECKER I. c. tom. VI. pag. 563.

g) Ord. camb. hamb. art. 3.

efset, remittentem ad soluendam valutam omnino obligatum esse. In emtionis venditionis negotio enim, simul ac consensu in rem et pretium contractus perfectus fuerit, et periculum et commodum ad emtorem, non ad venditorem spectant; id quod leges diserte statuant h). Inde vero sequeretur, remittentem, vtpote ad quem periculum pertineret, ad exsoluendam valutam teneri, nilque illi superesse, nisi quae ex naufragio concursus feruare possit. Magis tamen fidei mercatorum et commerciis consultum videtur, si remittentem praeflare solutionem non obstringas, antequam compertum fuerit, cambium translatans acceptatum esse. Nec quoad iura nostra deest legum argumentum. In nov. ord. concurs. i) statuitur, eos, qui bona cridarii possideant, si modo iustlo titulo ad hanc possessionem peruerenterint, iure retentionis gaudere debere. Summi ponderis autem videtur argumentum in art. 25. eiusdem ordinationis k). Hinc
remit-

h) L. 7. pr. ff. de peric. et commod. rei vend. L. I. C, eod. §. 3.
I. de E. V.

i) Neue Falliten - Ordnung, art. 34. §. 3.

k) Verba φphi I. huius articuli haec sunt: *Sind Waaren aus der Fremde von einem Falliten verschrieben, die von demselben überall nicht, oder nicht völlig bezahlt sind, und der Versender erfähret immittelst, daß die Waare zu Wasser oder zu Lande annoch unterwegs ist, entweder durch das Gerücht, oder durch seine mit Protest zurück gekommene Wechsel - Briefe, des Falliti schlechte Umstände; so mag derselbe durch Ueberschickung des zweyten Connoissements, oder durch Stellung anderweitiger Ordre, diese Waaren, in so ferne sie noch nicht in des Falliti wirklichen Gewahrsam gekommen, und falls*

remittens in tali casu a solutione liberandus, et ad depositionem merito admittendus videtur, donec, quomodo cum cambio transmissio actum sit, constet. Cambio enim cum protestatione reuerso, remittenti regressus contra traslantem denegari non posset. Remittens autem de cambii acceptatione certior factus, non amplius impedire potest, quominus deposita pecunia a curatoribus massae trassantis vindicetur ¹⁾.

Eodem modo, si ante solutionem valutae res eo peruererit, ut rationes ad sint legitimæ, quare, quamvis concursus formalis nondum apertus sit, super bona traslantis arrestum vniuersale imperari queat, remittens ad soluendam valutam non tenetur, antequam cambium transmissum reuera acceptatum esse sciat; interea tamen depositio illi iniungenda est ²⁾.

§. 13.

falls das Connoissement von ihm nicht schon weiter an andre transportirt worden, ebensfalls wieder zu sich nehmen, und soll das zweytes Connoissement, oder die zuletzt ertheilte Ordre, dem ersten Connoissement, welches der Debitor hat, wenn er gleich die Assuranz auf die Waare besorgt hätte, ohne Widerspruch vorgezogen werden. Cf. § 24, seqq. eiusdem artic. Non opus est, ut sensum huius legis exponam, verba enim satis clara et perspicua, facileque ad nostrum casum applicanda sunt.

1) Ista principia posuit cel. auctor delineationis saepe laudatae. Vid. Materialien u. s. w. §. 335 - 337.

2) Materialien u. s. w. §. 37.

d. *Exceptio cambii super pecunia lusu deperdita dati.*

Porro ob deficientem valutam depositio interdum decernitur, si reus exceptionem, cambium super pecunia lusu deperdita datum esse, opponit *n*). De hac exceptione non vbiuis idem fertur iudicium. Vulgaris opinio est, illam, nisi in continentि liquida sit, executionem non suspendere, sed in reconuentione reiiciendam esse *o*); simul ac vero reus illam probauerit, cambium tale nullum esse, nec debitorem ad soluendum teneri, quinimo, ut in processu cambiiali solutum repeatat, ei licere debere *p*). Nec defunt leges, quae vel poenam addant. Sic e. gr. ex iure electoralи saxonico indossans et conscius indossatarius in duplum summae iudicatae, salua poena ordinaria, condemnantur *q*).

Leges nostrates ludos illicitos, in primis aleam, utpote saluti publicae perniciosissimos admodum abhorre videtur. Quod ad cambia, super pecunia lusu deperdita data, attinet, ordinatio cambialis nostra *r*) speciale mandatum de lusu editum excitat. In quo mandato *s*) omnia cambia, obligationes, pignora, transactiones, si deiussio-

n) Vid. quae de hac materia congesit RICC. l. c. ex. V. sect. 5.

o) RICC. l. c. §. 44. 45. ibique alleg. WERNHER obs. for. vol. II. p. 3. obs. 100.

p) BECK. l. c. cap. XI. §. 3.

q) RICC. l. c. ex. XVII. sect. 4. §. 17.

r) Art. 48. vid. quoque Art. 3. ord. camb. an. 1729. addit.

s) Vid. Erneuertes Mandat wider die unzulässigen, zumal Hazardspiele, de 22. Oct. 1759. Extat in laudati KLEFFEKERI Sammlung
Hans-

deiunctiones e lusu ortum trahentes, nullae et irritae declarantur, imo et debitores ab obligatione liberandos, actores in expensas condemnandos, utramque partem, modo in vrbe eiusue territorio lusum fuerit, mulcta aliisque poenis afficiendam esse sancitur. De exceptione cambiis super pecunia lusu desperita dati sequentem sanctiōnem ibi legimus: quodsi talis exceptio in continenti probari nequeat, attamen, illam fundamento suo non carere, adit p̄fumatio, in conuentione statim in illam inquirendum, probationes insciendas, sententiamque ferendam esse; exceptio autem si neque in continenti probari, et ne demonstrari quidem possit, reum in conventione condemnandum et ad reconventionem remittendum; pecuniam vero exsolutam interea deponendam, neque actori, licet cautionem praestare paratus sit, tradendam t), et a reo de eo quod interest et de expensis in casum succumbentiae cauendum esse. Additur praeterea, eum, qui per imprudentiam tale cambium sibi cedi vel indossari curauerit, damnum exinde forsitan metuendum sibi ipsi parare; consciis vero indossatariis siue cessionariis non solum regressum denegandum, sed graui insuper mulcta eos afficiendos esse.

D 2 §. 14.

Hamburg. Mandate. Tom. IV. pag. 2156. Renouatum est d. 22.
Mart. 1784.

^{t)} Unicus hic est casus, quem reperire potui, in quo actori, licet idoneam offerat cautionem, depositum recipere, non permittitur.
Vid. supra §. 2.

§. 14.

2. *De exceptionibus peremptoriis, quae oriuntur ex instrumento falso vel viciose.* a. *Si debitor, subscriptione recognita, contenta cambii iurato diffiteri velit.*

In processu cambiiali debitor interdum exceptionem vitiosi vel falsi instrumenti opponit, ut sibi, a solutione liberato, depositio pecuniae concedatur, donec exceptionem probauerit. Vario modo false consciuntur literae cambiales, praecipue hoc, ut aliquis nomine alterius, chartae blancae subscripto, abutatur. Debitor, ad recognoscendum prouocatus, petere solet, ut, quamvis subscriptionem cambii agnoscat, tamen sibi iurato contenta diffiteri liceat. Disfessio autem talis solorum contentorum an admitti possit, nec ne, valde inter doctores disputatur. Quod ad ius commune attinet, sunt, qui illam in ordinario processu admittant, in executiuo plane reiiciant u). Sunt qui illam tantum inter mulieres, minores et huius conditionis personas locum habere, at inter mercatores exulare contendant. Sunt deinceps alii v), qui illius facultatem non nisi tunc dent, quando adsint

u) BERGER el. discept. for. tit. XXV. obs. 4. not. I. WERNHER P. IV. obs. 77. BARTH hodeg. for. c. III. §. 6.

v) LEYS. spec. 278. m. 2. GRIBNER princ. proc. lib. I. cap. 3. §. 9. Cf. I. G. S. A. BÜCHNERI Untersuchung der Frage: ob derjenige welchem eine Handschrift zur Anerkennung oder eydlichen Ableugnung vorgelegt worden, die Unterschrift derselben anerkennen, den Inhalt aber eydlich ableugnen dürfe? Götting. 1780. 4. qui hanc quaestione satis egregie tractauit, quid vero circa illam in negotiis cambialibus iuris fit, silentio praeteriit.

adsint indicia falsi et doli, vel reus, charta blanca aliquem abusum esse, demonstret.

De quaestione autem, num in processu cambiali, si reus subscriptionem agnoscat, locus sit iuratae contentorum confessioni, non vbiuis idem fertur iudicium. Plures ordinationes cambiales illam silentio praeterunt. Aliae, v. c. Saxo-Vinariensis de an. 1726 x), in fauorem rei eam decidunt, modo hic aliquem charta blanca ipsius abusum esse, dumque commisso, docere possit. Aliae illam prorsus reiiciunt, quibus adstipulatur nouum corpus iuris borussici, addens praeterea, reo nihil proficere, quamvis probauerit, idioma, quo cambium scriptum sit, sese non intelligere y).

§. 15.

Continuatio.

Inter doctores nonnulli hanc quaestionem in fauorem rei decidere videntur z). Alii distinguunt, num reus, literas blancas ab alio in aliud usum adhibitas fuist, in continenti probare possit, nec ne a)? Priori casu, recognita subscriptione, confessionem admittunt contentorum, posteriori reiiciunt. Alii tunc solummodo illi locum

D 3

x) Art. 13. in SIEGEL. corp. iur. camb. tom. I. pag. 194.

y) *Allgemeines Gesetzbuch für die Preussischen Staaten*, p. II. tit. 8. sect. 8. §. 783. 784.

z) L'ESTOCQ l. c. cap. VII. §. 10.

a) RICC. l. c. ex. IV. §. 127. ex. XVII. §. 23. LUDOVICI l. c. cap. IX. §. 5.

locum dant, quoties apparet indicia falsi, vel aliae legitimae suspiciones ad illam concedendam, iudicem moueant b). Ita iudicatum esse in cambio a decoctore producto, testatur RIVINVS c). Cel. auctor delineationis saepe laudatae d) disfessionem solorum cambiis contentorum reicit, quia multis columnis via patet, si reo semper iurare liceret, cambium inscio se scriptum esse, valutamque se non recepisse; a negotiis autem cambialibus omnem fraudis suspicionem remouendam esse, prudentemque mercatorem nomen suum chartae blancae haud inscribere solere, merito instat.

Ex mea sententia distinguendum est inter acceptantem, et eum, qui dedit literas cambiales. Illi disfessio contentorum, recognita acceptance, concedi nequit. Vidit enim cambium antequam illud acceptaret; adiiciensque acceptationem, veritate contentorum agnoscit; si igitur iurare velit, cambium inscio sese scriptum esse, audiendus non est. Quod autem ad illum attinet, qui dedit literas cambiales, iterum dislinguo inter mercatores, et qui non mercatores sunt. Hos ad iuratam disfessionem contentorum e), licet subscriptionem agnouerint, in processu cambiali admittendos esse censeo f). Etenim rigor iuris cambialis, qui hanc disfessionem reiicere videtur, ne in tali causa celerior desit executio, non nisi ad augendam conservandam.

b) FRANCK. I. c. lib. II. scđt. 7. tit. II. §. 16.

c) Specim. except. for. cap. vlt. nr. 13.

d) Materialien u. s. w. §. 409.

e) Attamen ad qualitatem personae, praesertim rei, semper respiciendum esse, per se patet.

f) Arg. L. 25. §. I. ff. de probat.

seruandam fidem mercatoriam, et in fauorem commerciorum tendit; quamobrem ad eos, qui non mercatores sunt, forsitan absque ratione sufficiente in hoc casu applicaretur. Accedit, quod isti plerumque cambia propria vel sicca dare soleant, in quibus de dolo et fraude in abutenda alterius subscriptione magis adhuc, quam in cambiis translati metuendum est. Quam imprudentissime vero huius conditionis personae nomen chartae blancae subscriptant, et quantum eo modo falsis locus detur, quotidiana docet experientia g). Inter mercatores dissensionem solorum contentorum admittendam esse, equidem non existimo. Depositio pecuniae tamen reo denegari nequit, si, quae protulerit, aliquibus suffulta sint praesumptionibus; v. c. chartam blancam, ad certum usum datam, a falsario in alium adhibitam fuisse; quo etiam pertinet, si instrumento quedam defunt, quae, licet non sint essentialia, plerumque adiici soleant, et ex quorum defectu suspicio fraudis commissae oriatur. In ordinario processu probationem exceptionis suscipere tunc reum oportet.

§. 16.

b. Si alia falsa occurrant.

Nonnunquam acceptans, cambium, quod bona fide acceptauit, falsum esse, certior redditur. Sufficientem illius rei si assert demonstrationem, valuta deponenda, instrumentum vero, ut in crimine commisum inquire possit, in iudicio retinendum est h). Accidit

g) Cf. BVECHNER, l. c. §. 9, seqq.

h) Allgemeines Gesetzbuch für die Preussischen Staaten, l. c. §. 1345.
seqq.

dit quoque, vt in literis cambialibus iam acceptatis summa expressa dolore mutetur, eoque modo falsum committatur. Acceptans sane omnino non soluere tenetur, nisi in quantum cambium acceptauit, de quo e codicibus mercatorii, literisque auisoriis probatio fieri potest. Praesentante illam summae partem recipere recu- sante, acceptans iure petit, vt, deposita pecunia, quam re vera de- beat, ab obligatione liberetur *i).* Quodsi vero, imprudentia forte, iusto plus exsoluerit, non nisi contra falsarium sociosque criminis patet regressus, neque a pristino creditore indebito solutum repetere potest *k).*

§. 17.

3. *De exceptione perenatoria, quae oritur ex reuocato mandato.*

Huc quoque pertinet exceptio reuocati mandati, tunc opponenda, si is, qui literas cambiales, verbo *Ordre* deslitas, emit, easque tertio ad exigendam valutam transmisit, re adhuc integra debitori, ne solutionem praeflet, interdicit. Nititur haec exceptio principiis iuris communis, quibus mandatum alicui commissum re- vocare licet, modo re integra et satis tempestive fiat *l).* Requiriunt tamen nostrae leges: 1) vt praesentans se simplicem remitten- tis mantatarium gerat; 2) ne pecunia, cuius solutionem petit, praefentantis sit; 3) ne vna cum cambio literae auisoriae vel manda- tum, quo valutam in suam rem et propriam utilitatem reciperet,

ad

i) Materialien u. s. w. §. 263.

k) Allgem. Gesetzbuch für die Preußischen Staaten. I. c. §. 1150.

l) §. 9. I. mandat. LAVIERBACH in Coll. Pand. ad tit. mandat, §. 38.

ad eum peruererint; 4) ne remittens ob merces transmissas, vel ob tractas, vel tandem ob aliam quamcunque causam praesentanti aliquid debeat, vt pote in quibus casibus, sine praesentantis consensu mandatum reuocari nequit. Sic diserte statuit ord. camb. Hamb. art. 35. Requiri praeterea, vt debitor iustam reuocationem vel inhibitionem remittentis exhibeat, per se patet. Praalentans si nihil horum in eum cadit, a iudicio repellitur; si vero ad elidendam exceptionem nonnulla profert, debitor, donec ille probationem attulerit, valutam deponere tenetur ^{m).}

Aliquando remittenti legitimae adsunt rationes, quare acceptanti interdicat, praesentanti, licet non simplici mandatario, valutam exsoluere. Tunc etiam depositio admittenda videtur, ea tamen lege, vt interdicens causarum, cur interdixerit, probationem in processu cambiali suscipiat; qua deficiente, acceptantem soluere oportet, interdicente ad separatum remisso ^{n).} Hunc praeterea ad praestandam cautionem pro expensis et dannis obligatum esse, per se patet.

§. 18.

4. De exceptionibus peremtoriis, quae oriuntur ex vitiis in negotio cambiali commissis.

Tandem reus ad depositionem aliquando admittendus est, si instar exceptionis peremtoriae actioni vitia in negotio cambiali commissa

^{m)} SIEGEL, Einleitung zum Wechselrecht. §. 17. Cf. KLEFFEKER Sammlung hamb. Gesetze und Verfassungen, Tom. III. p. 475.

ⁿ⁾ Materialien u. s. w. §. 417.

missa opponit, e. gr. præsentationem, protestationem, vel notificationem et cetera non rite, aut non satis tempestive factam esse. Id autem non solum ad vitia ab actore ipso commissa restringendum, sed eadem ratio est, si aliquid iuri cambiali contrarium ab indossante, vel alio indosserario factum esse probatur. Sane haec exceptio, modo in continentis demonstretur, reo proficere potest, adeo, ut non solum a solutione liberetur, et tantum ad depositionem teneatur, sed ut interdum a depositione quoque immunis fiat. Ex singulis casibus diiudicare debet index, an et ad quod reus condemnandus sit; respiciendam enim est, utrum actoris, an rei causae maiores interuiant rationes. Exceptione a reo probata, actor probare debet, vitium istud absque alicuius causa commissum esse, ita ut reus nihilominus ad soluendum sit adstringendus. Plures e. gr. ordinationes cambiales præsentationem et protestationem literarum cambialium certo tempore peragendam statuunt; quo neglecto, remittenti regressum contra trassantem denegant. Non defunt tamen exempla in foro, quod trassans non modo ad deponendum, sed etiam ad soluendum condemnatus sit, licet secundum summum iuris cambialis rigorem, regreslus contra illum non amplius pataret o).

§. 19.

- o) Exemplum huius exceptionis memoratu dignissimum extat in collectione, quam vir perillustris, ptaeceptor ad cineres usque observantissime colendus, Io. Steph. PVETTER, edidit sub titulo: *Auserlesene Rechtsfälle u. s. w.* Vol. I. tom. 3, nr. 74.

§. 19.

5. *De nonnullis aliis exceptionibus, quatenus in processu cambiali locum habeant.*

Denique ob alias exceptions, in iure communii sancitas, modo in processu cambiali admittendas p), debitum cambiale depositur, si, quamvis in continentii plene probari nequeant q), reprobationem earum statim non suscipiat actor r). Semper hic respiciendum est, an, quae protulerit reus, sint probabilia, actorique obstat videantur, hisque ita se habentibus, reus ad depositionem admittitur. Sic statuendum est de exceptione solutionis, compensationis, transactionis etc. Debitorem cambialem, si de cambiis propriis agitur, exceptions altioris indaginis ante diem solutionis proferre posse, eum quidem in finem, ut veniente isto termino exceptionem rei iudicatae, in vim litis finitae opponere queat, statuit novum corpus iuris borussici s). Quodsi ante diem solutionis sententia in eius favorem iam lata est, quae tamen nondum in rem iudicatam transiit, depositionem illi concedendam esse sancit eadem lex t).

E 2

§. 20.

p) *Exceptiones in processu cambiali admittendas recenset Riccius*
l. c. ex. XVII. sect. 4. §. 17.

q) *De probatione in continentii, et quantum temporis spatium illa requirat, vid. Beck. l. c. cap. XIII. §. 13.*

r) *Materialien u. f. w. §. 417. Cf. art. I. ord. camb. Hamb. an. 1729. addit.*

s) *Allgemeines Gesetzbuch für die preußischen Staaten. l. c. §. 1248.*

t) *Ibid. §. 1249.*

§. 20.

II. *Propter reconuentiōnem u).*

Debitor cambialis, qui creditorem reconuenire vult, plerumque petit, ut pecuniam ex cambio debitam deponendi sibi copia fiat *v*). Reconuentio autem saepius processum cambiale excipit, cum scilicet creditor cambialis non solum ob fundatam iurisdictionem et prorogationem necessariam in foro, vbi actionem cambiale insituerat, ad omnes alias actiones debitoris respondere ordinarie teneatur, sed etiam cum omnes exceptiones, quae altioris indaginis et minus liquidae sunt, in iudicio cambiali reiectae, ad reconuentiōnem, finito processu cambiali insituendam, remittantur. Duplicis generis esse reconuentiōnem, alteram, quae pari passu cum conuentione ambulat, et simultaneum processum efficit, alteram, quae finita demum conuentione insituitur, et tantum effectu prorogationis gaudet, neminem fugit. Prior species in processu cambiali exulat *x*); nam reconuentio a debitore cambiali insitui nequit, priusquam prior disceptatio ad finem perducta sit. Iam vero ex iure communi reus a reconueniendo, qui sub eodem foro bona immobilia

u) Reconuentio in processu cambiali, si de literis cambialibus traxatis agitur, praecipue quidem ab acceptante contra remittentem instituitur. Interdum quoque a traxante contra remittentem, qui ob protestationem literarum cambialium regressum petit. Traxanti tunc depositionem concedendam esse arbitror.

v) Vid. disserr. SIEGELII §. 1. cit. quae speciatim de isto decernendae depositionis fundamento agit.

x) HEINRICI, elem. iur. camb., c. VII. sect. 4. §. 13.

bilia non possidet, cautionem postulat; quae si non praestatur, pecunia, ad quam exsoluendam reus in conuentione condemnatus fuit, deponitur. Ita statuta Hamburgensia praecipiunt, verbis sequentibus:
Könnte der Kläger zur Wiederklage die Caution weder mit Bürgen noch Pfändern bestellen, auch das Geld, so ihm zuerkannt, nicht verbürgen, soll dasselbe bey Gericht allhier bis zur Erörterung der Reconvention in deposito bleiben y), et in isto casu depositionem debiti cambialis in fauorem rei permittunt. Interea reconueniens, aliam cautionem, in reconventione si forsitan succumberet, ut sententiae in processu cambiali latae tatisfacturus sit, depositionis loco afferens, non audiendus est. Iniquum enim illud foret reconueniendo, quippe cui, praeflita idonea cautione, depositum recipere licet. Dari tamen casus, in quibus in fauorem reconuenientis sic pronunciari poslit, exemplo memoratu dignissimo docuit DE CRAMER a).

Iudicem, a quo debitor cambialis, reconventionem parans, petit, ut depositionem permittat, ante omnia inquirere oportet, num exceptiones in reconventione proferendae, probabiles sint, et actori iure opponi queant? Deinde an actor peregrinus vel non possessus sit? Ex quo facile intelliget, depositio vtrum sit admittenda, an deneganda b). Pecunia in iudicio deposita ibi remanet, donec creditor vel aliam idoneam praestiterit cautionem, vel reconuentio-

E 3

nis

a) Stat. Hamb. p. I. tit. 25. art. 2.

b) E. gr. Brem. art. 20. Boruss. art. II. nr. 6.

c) In Wetzlar. Nebenfl. tom. XCVI. nr. 5.

d) PVETTMANN *Grundsätze des Wechselrechts*, pag. 171.

nis causa ad finem deducta sit. Ne vero in creditoris fraude in debitor beneficio, a lege concessio, abutatur, terminus praesigendus, intra quem sub praeiudicio reconuentio inchoetur. Statuta hamburgenia intra mensis spatum post finitam conuentionem reum reconventionem instituere iubent c). In nonnullis iudiciis, iuramentum malitia ut hic antea praestet, requiritur d).

SECT. II.

QVANDO DEPOSITIO DEBITI CAMBIALIS AD INSTANTIAM CREDITORIS DECERNATVR.

§. 21.

A. Quando creditor a quocunque debitore, sive acceptante, sive transante, sive dante, si de propriis literis cambialibus agitur, illam petit, et quidem i. ante diem solutionis. Quo pertinet: a. si instantia adjunt rationes arrestum uniuersale impetrandi in bona debitoris.

Ad debitoris instantiam vii ob eius securitatem depositio pecuniae ex cambio debitate interdum decernenda est, prout sect. preced. exposuimus, sic quoque creditor, vt a debitore pecunia depo- natur, aliquando iure petit. Distinguendum tamen esse arbitror,

vtrum

c) P. I. tit 22. art. 4.

d) SIEGEL fürsichtiger Wechselgläubiger. cap. IV. §. 30.

vtrum a quoconque debitore, an a trassante tantum, et quoad illum easum, vtrum ante diem solutionis, an eo praeterlapsa creditor depositionem obtinere studeat. Quod ad illud attinet, quando creditor a quoconque debitore ante diem solutionis valutae depositionem petit, constat quidem, neminem solutionem alicuius debiti ordinarie exigere posse, priusquam dies solutionis venerit. Creditori enim, ante hoc tempus solutionem a reo petenti, obstat exceptio plus petitionis e), cuius effectus est, ut creditor non solum a limine iudicij statim repellatur, sed et omnes expensis reo resarcire teneatur f). Nonnunquam tamen ob iustas causas creditor, antequam actionem instituat, de securitate prospiciendum est. Ex variis huc spectantibus praesidiis saepissime eliguntur arresta, debitoris tam personae quam bonis iniicienda. Adsin modo causei iustae g); alias et creditor inique petens, et index, imprudenter decernens arresta, a reo actione iniuriarum merito conueniuntur h). Quibus praemissis, ecquis dubitabit, creditorem cambialem, si iustae et legitimae ad impetrandum super bona vel personam debitoris arrestum, adsin causa, petere posse, siue ut hic demonstret, quomodo die solutionis obligationi satisfacere velit, siue ut idoneam praestet cautionem, ex qua, quod sibi debetur, creditor aliquando obtinere queat. Iam

oli ni suspenditq[ue] oportet, cum iustitia in iudicio cum

e) FRANCK, l. c. lib. II. sect. 7. tit. 10. §. 13. et ibid. iibid.

f) L'ESTOCQ. l. c. cap. VII. §. 8. iudicioribus audiebantur

g) Quaenam sint iustae decernendi arresti cause, vid. apud GAIL

de arrestis. BERGER el. discept. for. tom. I. tit. 51. BARTH

hodeg. for. cap. III. §. 43. seqq. anglia ni iudiciorib[us] q[ui] i

h) L. 15. §. 31. D. de iniur. Cf. si lubet, Stat. Hamb. p. I. tit. 17.

§. 17.

cum optima, quae huic praestari possit, cautio depositione valutae abfoluatur, quare haec a creditore non statim petenda sit, equidem non video; licet in arbitrio debitoris relinquendum sit, an aliam cautionem, minus forte molestam, offerre velit. Attamen in cautione vel depositione creditorem acquiescere oportet; solutionem, antequam dies venerit, iniuste peteret i).

b. Si debitor forum cambiale relicturus ad aliud abiturus est, in quo ex rigore iuris cambialis non pronunciatur.

Quid? si debitor prouinciam, in qua rigor iuris cambialis exercetur, relicturus in aliam, vbi secus, se conferre velit? Tunc plerumque depositioni locum esse arbitror. Verendum enim est creditori, ne sibi in foro, quod debitor electurus est, actionem ex cambio instituturo, hic altioris indaginis opponat exceptiones, ad quas respondere teneretur, et vnde, cum, aduersarium non esse facilis conuentionis, forsitan accedat, sumitus, expensae et labores haud dubie sibi pararentur. Quare debitor in foro, quo cambium contraxit, et vbi rigor iuris cambialis obseruatur, vt cautionem vel depositionem praestet, merito petit creditor. Neque in debitorem hoc modo iniuria comittitur, quippe qui cambium dans eo ipso, et processu cambiali vt conueniatur, consensisse, exceptionibusque in illo haud admittendis simul renunciavisse censendus. Accedunt argументa legum, quibus aduersarii conditionem duriorem facere prohibutum est k).

§. 23.

i) Ita praecipitur in *Allgem. Gesetzb. für die preuss. Staaten* l. c.

ii) §. 845.

k) L. 2. C. ne lic. potent. Ord. imp. polit. de an. 1577. tit. 20, §. 4.

§. 23.

2. Quando post diem solutionis.

Non solum autem ante diem solutionis, sed etiam eo praeter lapsu depositionem debiti cambialis a creditore aliquando petendam esse, §. 21. dictum. Id quod primo intuitu minus affirmandum videtur, cum elapsu die memorato creditor ius exigendi solutionem habeat, nec, ut in sola deponenda valuta acquiescat, necessarium sit. Regula tamen ista exceptionem admittit, nimurum si literae cambiales, in quibus creditoris fundamentum agendi positum est, post acceptationem amissae sunt *1)*. Quia in re omnia co redeunt, vtrum reus acceptationem confiteatur, an neget? Fingas itaque, acceptantem, si de literis cambialiis traslatis, vel dantem, si de propriis agitur, acceptationem instrumenti amissi, suamque obligationem exinde ortam confiteri: tunc omnino creditor depositionem, inio solutionem, quando idoneam assert cautionem, iure postulat. Ita statuunt fere omnes, quas inspexi, ordinationes cambiales *2)*. Ex nostris legibus praesentans acceptanti cautionem praefovere tenetur tam de indemnitate et expensis, quam de apocha, qua translati et indos- fantes cambium extinguunt, intra certum tempus tradenda *3)*. In delineata-

1) Vid. quae in hanc rem congesit Riccius l. c. ex. XVII.

2) E. gr. Boruss. art. 67. Lips. §. 33. Brem. art. 54. Plures vid. apud Ricc. l. c.

3) Ord. camb. Hamb. art. 42, cuius verba ita se habent: *Wenn ein acceptirter Wechselbrief verloren wird, und der Acceptant der Schuld geständig oder überwiesen ist, bleibt gegen denselben das Wechsel-*

delineatione saepe laudata o), vt et in nouo corpore iuris boruſſi p), acceptantem ad deponendam valutam teneri praecipitur. Depositum recipere creditorū non licet, niſi vel idoneam aliam praeflet cautionem. vel instrumentum amissum in iudicio proferendo ſe tanquam legitimum poffefforem exhibeat, vel literas cambiales iufto modo exſtinctas eſſe probet. Quo factō acceptans omnia, quae illi instrumentum iſpsum poffidenti competerent, iura acquirit, illi-que ergo contra traſlantem reliquosque indofſantes patet regreſſus q). Cautio propter indemnitatē literarum cambialium amifſarum, quādīu debito cambiali nondum praefcriptum eſt, ex vulgari opinione durat r). Dubia tamen contra hanc ſententiam plures mouerunt doctores s), quod, etſi rigor cambialis intra iſtud tempus euaneſcat, obligatio tamen debiti continuetur et ſubſtituat, donec ea- dem praefcriptione tandem exſtinguatur. Quid in noſtra ciuitate
hac

Wechſel-Recht in vollen Würden, und iſt er ſchuldig, den Belauf des Wechſels zu bezahlen, jedoch gegen eine ſüffisante Caution, daß der Präsentant dem Acceptanten in einer benannten Frist eine zu Recht beßändige Mortification von dem Trahanten und Indofſenten zu verſchaffen und einzuliefern, auch foñß, wegen des verlohrnen Wechſels, ihn Koſt- und Schade-los zu halten, ſchuldig feyn wolle.

o) Materialien u. f. w. §. 365.

p) Allgem. Geſetzb. für die Preuſ. Staaten, I. c. §. 1171. 1172.

q) Materialien u. f. w. §. 370.

r) LVDOVICI I. c. cap. VI. §. 20. FRANCK, I. c. lib. II. ſect. 3.
tit. 4. §. 4.

s) RICC, I. c. §. 50. ibique alleg. TROPPONEGRI Einleitung in die Wechſelkrieffhaft, §. 154.

hac de re statuendum sit, an scilicet ex art. 42. cit. nostrae ordinationis cambialis cautionem adhuc postquam lata sit sententia praecclusiva durare oporteat, nec ne, non extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur. Etenim verba dicti art. haud satis perspicua sunt, maximeque ex illis: auch sonst etc. colligendum esse appetat, in hac lege duplarem contineri obligationem cautionis praeflandise, nam nempe, si actor solutionem exigat currente adhuc tempore proclamatis, quo possessor cambii amissi ad ius, si quid habeat, persequendum sub comminatione perpetui silentii prouocetur; alteram autem, si praefixo in proclamate termino praeterlapsa, et lata sententia praecclusiva reus valutam exsoluere debeat. Rectior tamen videtur sententia, articulum cit. de intercessiva cautione, si durante proclamate solutio praesletur, tantum agere; sententia autem praecclusiva semel lata, ulteriore non requiri cautionem; et ita sententiam a Dno Praetore latam, per decreta Ampliss. Senatus Hamburgensis d. 7. et 26. Ian. 1793, compensatis tamen expensis, confirmatam fuisse, percepit *).

F 2

Fingas

*.) Verba sententiae d. 17. Apr. 1793. publicatae afferre mihi licet;
In Sachen Sr. Gerkens et Comp. mand. noie jetzo Jacob Samuelson Citanteren etra. Sr. Klink et Comp. Citaten: Erkannt, dass Citaten den am 30. May 1792. von Friedrich Jansen in Gothenburg an die Ordre der Citanteren Mandanten auf Citaten gezogenen, von ihnen acceptirten, 70 Tage nach dato zahlbaren, verloren gegangenen, und mediante Proclamate gerichtlich mortificirten Prima Wechsel gros 800 Rthlr. Hamb. Banco innerhalb 8 Tagen sub pena executionis cum usuris morae von Zeit dieser erhobenen Klage an, gegen Auslieferung der producirten Prae-
clusiu-

Fingas vero, acceptationem factam a reo negari. Cessat tunc processus cambialis *t*), quoniam instrumentum, quod reum recognoscere oporteret, deest, et tota narratio libelli sit altioris indaginis, ita ut ne executive quidem agere possit creditor. In ordinario tunc processu a creditore, acceptationem factam esse, probandum, quo facto, reo depositio iniungenda est *u*). Lite vero pendente reus neque ad pecuniam deponendam, neque sub cautione soluendam tenetur, multo minus, probatione ab actore nondum suscepta, definitiue condemnari et ad reconuentiōnem remitti potest *v*).

Ceterum damnata, ex amissione literarum cambialium orta, amittentem sentire oportet *x*). Acceptanti, qui tali amissione sumtus et expensas facere coactus fuit, soluendo deponendum cas detrahēre, vel ex deposito recipere licet. Non iniquum igitur videtur, amittenti, depositionem postulanti, cautionem pro resarcendis sumtibus et expensis iniungere.

Eadem

elusiv - Sentenz und des gleichfalls produzierten Attestats an mandatorische Citanten zu bezahlen, auch ihnen alle Kosten dieses Prozesses moderatione salua zu erhalten schuldig.

t) RICC. I. c. §. 36. SIRGEL Försichtiger Wechselgläubiger cap. I. §. 7. not. e.

u) Allgemeines Gesetzbuch für die Preußischen Staaten. I. c. §. 1177.

v) FRANCK. I. c. lib. II. sect 7. tit. 15. §. 14.

x) Materialien u. w. §. 368. FRANCK. I. c. lib. II. sect 3. tit. 4. §. 13. RICC. I. c. §. 5.

Eadem principia, quae hactenus exposui, applicanda sunt, quando a transante valuta literarum cambialium amissarum deponenda est, quod tunc locum habet, si ante sententiam praecclusiuan remittens ad transantem reuertitur, quia ab acceptante valutae solutionem obtinere non potuit.

§. 24.

B. Quando creditor depositionem a transante solummodo petere potest?

Aliquando creditor tantum a transante depositionem postulare potest, quod locum habet, si literae cambiales transmissae, protestatione interposita, ad remittentem reuertuntur; tunc enim huic contratransantem patet regreslus. Si de persequendo isto iure agitur, ordin. camb. Hamb. art. 29. distinguit, an solutionis tempus iam adfuit, nec ne. Priori casu transans, ut in continentis exsoluat valutam, processu cambiali adigendus est; posteriore vero aliam obligacioni satisfaciendi viam eligere potest, praestitaque cautione idonea, remittens in eo acquiescere debet. Ex sententia cel. auctoris delineationis pluries laudatae remittenti, modo protestationem, ob defectum acceptationis, vel solutionis, iusto modo susceptam exhibeat, depositionem petere licet y).

y) Materialien, u. f. w. §. 114. seqq.

SECT. III.

QVANDO AD INSTANTIAM TERTII DEPOSITIO DEBITI
CAMBIALIS DECERNATVR.

§. 25.

A. *Si tertius depositionem petit ob ius, quod in cambium ipsum sibi competere contendit.*

Sicuti in quoquis genere processus interuentioni aditus patet, ita quoque dubitari nequit, in processu cambiali ei locum esse, siue principali, siue accessoriae, modo posteriore casu celeritas processus per eam non retardetur. Interuentione suspenditur processus inter actorem et reum; attamen possessor literarum cambialium depositio nem valutae petere, viciſſimque hac praeflita, reus liti se eximere potest ^{z)}. Requiritur autem, ut de causis et fundamentis interuentionis in continentि liqueat: alias interveniens ad separatum remittendus esſet. Interdum etiam cautionis praefatio illi incumbit, antequam interuentioni locus tribuatur. Quibus praemissis, nonnullos aſteram casus, in quibus ad tertii intervenientis instantiam valuta cambialis deponenda mihi videtur.

Interueniens depositionem petit vel ob ius, quod in ipsas litteras cambiales sibi esse contendit, vel si quoquis alio modo eius intereat. Illud praefertim tunc contingit, si literae cambiales amissae

^{z)} FRANCK. l. c. lib. II, ſect. 7. tit. 18. §. 3, 4.

amissae vel furto subreptae sunt a). Si pristinus earum dominus in iudicio illas produci, solutioneque valutae exigi videt, habet, cur impedire nitatur, quominus illa praesenti possessori praefletetur. Tunc autem omnia eo redeunt, an hic iuslum et legitimam possessionem ex parte sua docere valeat, nec ne? Sin prius, solutio illi denegari nequit, iuslo interueniente, ut pristinum malae fidei possessorem in separato conueniat b); si posterius, valuta deponenda est, donec interueniens ius suum plene probauerit, quo facto depositum merito recipiet. Probatio legitimae possessionis in literis cambialibus amissis vel furto subreptis ardua quidem videtur; facilis tamen est, si indosumentum, quod vocant, in blanco haberuntur. Hoc modo enim ad bonae fidei possessorem peruenire potuisse constat, cui de recipienda valuta iniuste lis moueretur.

§. 26.

B. *Si tertius depositionem petit, quia ob aliam causam eius interest.*

Tertii interuenientis, licet ius in literas cambiales illi non competit, ex speciali causa nonnunquam interest, ut valuta cambialis deponatur. Multa sunt huius generis exempla; sed in unico subsistam, et quidem hoc: si alicui iustae adsunt causae, cur in bona

a) Quid juris sit circa cambia furto subrepta, vid. apnd FRANCK. I. c. lib. II. sect. 7. tit. 15. §. 13. Ricc. I. c. ex. XVI. §. 38 seqq.

b) *Allgemeines Gesetzbuch für die Preußischen Staaten.* I. c. §. 1196. seqq.

bona creditoris cambialis arrestum vniuersale impetrare possit *c)*, atque hunc solutionem alicuius debiti cambialis petere videt; tunc recte roget, vt pecunia actori non tradatur, sed in iudicio deponatur, donec sibi a suo debitore satisfactum sit; quod si non fiat, interueniens quod sibi debetur recipit ex deposito.

§. 27.

C. Si tertius ex mandato depositionem petit.

Accidit porro, vt tertius non proprii iuris persequendi causa, sed ob mandatum, quod a debitore vel creditore suscepit, depositionem petat. Casus vero hoc pertinentes silentio praeterire liceat, cum sect. I. et II. illos iam exposuerim, actumque agere animus non sit. Paucis tantummodo mentionem faciam dubiae alicuius questionis, legibus nonnum' definitae, quam cel. auctor delineationis saepe laudatae *d)* hisce fere verbis proponit: An praesentans, a quo ultimo die arbitrario, quo protestatio interponi queat, cambium, cuius acceptationem in mandatis habuit, nondum exactum sit, ab acceptante, tradito cambio acceptato, valutae, cuius ducentesimam partem pro suo labore reciperet, depositionem petere obligatus sit, nec ne? Legi omnino merentur argumenta, quibus in utramque partem ibij disputatum est. Ipse auctor laudatus affirmatiuam amplecti videtur sententiam. Acceptantem depositionem, a praesentante petitam, iniuste recusare quidem constat *e)*; sed quaeritur, utrum praes-

pet,

c) Cf. supra §. 21. not. g.

d) Matrialien. u. s. w. §. 93.

e) Vid. ILL. Büsch in Darstellung der Handlung, tom. I. pag. 76.

flet, praesentem legibus ad petendam depositionem adstringere,
an hoc arbitrio eius relinquere? Cum tamen quaestio ista ad legis-
lationem spectet, merito eam sicco pede praetereo.

SECT. IV.

QVANDO DEPOSITIO DEBITI CAMBIALIS EX OFFICIO DECERNATVR.

§. 28.

A. *Ex iure communi decernitur fisci nomine ob delictum usurariae
prauitatis.*

Tandem depositio pecuniae ex cambio debitae ex officio inter-
dum recte decernitur, et quidem varias ob causas, quarum nonnul-
las adhuc recensere mihi proposui. Sic fisci nomine propter poe-
nam sumendam talis fertur sententia, si iudici sufficiens oritur su-
spicio, in negotio cambiali, ex quo agitur, usurariam prauitatem
vel simile delictum commissum esse f). Quamuis enim creditor de-
bitorem valde deceperit, id quod in primis per dolosam perceptionem
usurarum, modum legitimum excedentium, fieri potest, tamen de-
bitorem ad soluendum paratum esse, neque exceptionem, maximo
iure illi competentem, opponere, apud animum constituisse, cogi-
tare licet. Cum vero iudicis sit, in delicta inquirere, et poenam

a

f) Vid. quae de hac materia tradit SIEGEL in *Fürsichtiger Wechsel-
gläubiger*, cap. III. §. 7. nr. 2. et in diff. supra §. 1. laudata. §. 28.

Cf. PVEITMANN *Grundätze des Wechselsrechts*, §. 20.

a legibus illis adiectam sumere: ad inuestiganda ea, simul ac suspi-
cio oriatur, atque si de crimine usurariae prauitatis agitur, ad per-
sequendam poenam publicam g) omnem operam illum impendere
oportet. Ad obtinendum vero hunc finem nihil securius est,
quam ut pecunia interea deponatur; quandocunque enim de corpore
delicti constat, poena deposito detrahenda, ita ut eam a condemnato
exigere haud opus sit. Cui non obstat, quod debitor fortassis re-
nunciauerit depositioni. Tali renunciatione alioquin omnino effici-
tur, ut creditor, si velit, pecuniam statim recipiat, neque cautionem praec-
stet, etiam si debitor reconventionem instituerit h). At quisque suo iuri
quidem valide renunciare, ius tertii autem hoc modo laedere neu-
tquam potest. Itaque renuncatio depositionis in nostro casu effectu
desstituitur, quippe quia per usurariam prauitatem fiscus acquisiuit ius,
ad quod tuendum et persequendum iudex merito depositionem de-
cernit. Nonnullae leges cambiales statuerunt, quod, suspicione talis
criminis commissi iudici nascente, reus ad solutionem non condem-
nandus sit, priusquam creditor iuramentum suppletorium praefu-
terit i).

§. 29.

B. *Propter peculiares certarum provinciarum leges debiti cambialis depo-
tio interdum adhuc ex aliis causis ex officio decernenda est.*

Denique ex peculiari certarum provinciarum lege debitum cam-
biale aliquando deponendum est v. c. propter singularem persona-
rum

g) Poena publica usurariae prauitatis est amissio quartae partis fortis,

Ref. Pol. de an. 1577. tit. XVII. §. 8.

h) SIGEL. I. c.

i) E, gr, Ord, camb, Saxo - Vinar, art, 39.

rum qualitatem, vel propter alias quascunque causas. *Illi*us generis leges nostrates insigne praebent exemplum ^{k)}. Etenim erudit tam ecclesiastici, quam seculares, scholarum preeceptores, opifices, alii que mercaturam non exercentes, Iudeis tantummodo exceptis, a rigore iuris cambialis eximuntur quidem; attamen si cambia dederint, acceptauerint, vel indossauerint, valutam cambii in pecunia numerata vel in pignoribus sufficientibus statim depovere, vel idoneos fideiussores dare tenentur; deficientibus autem fideiussoribus, aliam demum cautionem praestare debent. Verba huius legis ita se habent: *Wann Gelehrte, Geist- und Weltliche, Schul-Bediente, Handwerker, und andere nicht negotiirende Personen, (die Juden ausgenommen) welche nur von ihren Zinsen und ordinaires Einkünften, Verdienst und Gewerbe leben, Wechsel-Briefe ausgeben, acceptiren, oder indossiren; (denn der Obligationen halber wird es in Ansehung obbesagter Personen bey dem bisherigen Gerichtsbrauch und Statuten gelassen) so hat zwar das geschärfte executivische Wechsel-Recht gegen dieselben keine Statt; jedoch sollen sie entweder sogleich die Summe des Wechsels baar an Gelde, oder genugsame Pfändern, bey dem Gerichte deponiren, oder auch zulängliche Bürgen desfalls stellen; oder, da sie vor einem der präsidenten Herrn Bürgermeistere oder Herrn Gerichts-Verwaltere eydlich erhalten würden, daß sie zu Bürgen oder Pfändern nicht gelangen könnten, wann sie genugsam erbgesessen sind, mit Cavarung ihrer*

G 2

ihrer

^{k)} Vid. Verordnung wegen der von unmündigen und nicht handelnden Personen ausgestellten Wechsel und Obligationen. de 4. Sept. 1732. Exstat in collect. laud. KLEFECKERI. Tom. III. pag. 686, seqq. lit. BBBB.

ihrer Immobilien admittiret; oder endlich, falls sie ihre züreichliche Erbgesessenheit nicht dociren könnten, ad iuratoriam cautionem: "dass ,sie außer der Stadt und deren Iurisdiction nicht entweichen, und ,die Sache althier in iudicio ausführen, und den indicatis gelben wollen" ,coram Protocollo der p. t. Worthaltenden Herren Bürgermeistern oder Herren Prätorien zugelassen werden. Hac sanctione celerrimam executionem illis, qui cum personis, a rigore iuris cambis exemplis, negotia cambialia gesserint, patres patriae procurare voluisse, quis est, quin videat. Nec est quod dicam quantopere mercatura, negotiatorumque fides eo promoueatür.

Huius generis in iure electoralı saxonico inueni exemplum, cuius paucis mentionem facere sufficiet 1). In lege allegata creditorı cambiali, praeculō a concurſu, de bonis debitoris moto, venia quidem datur, elaplo termino ſalui conductus illum proceſſu cambiali conuenire: ſimul autem ſancitur, pecuniam, quando reus ſolutionem praefliterit, deponendam, neutiquam actori tradendam eſſe, antequam omnibus creditoribus concursus de eo, quod transactione non remiferint vel decretum distributionis ferat, ſatisfactum fuerit.

1) Vid. Extract aus dem Churfürſl. Sächs. geſchärfsten Mandat wider die Banquerutiers. de dato Dresdae, 20. Dec. 1766. in I. L. VHLII. Contin. III, Corp. iur. camb. Siegel. pag. 116. 117.

THESES.

I.

*Poena furti qualificati in Art. 159. C. C. C. alternative
statuta est, aut capitalis, aut corporis afflictio-
grauis.*

II.

*Principi euangelico competit ius verbi diuini ministros
symbolis obstringendi.*

III.

Partus ex sponsa legitimus est.

IV.

IV.

Optandum est, ut Iuri cambiali ubiuis in Germania locus tribuatur.

V.

Damna ex mutatione monetarum orta, creditor cambialis, qui in mora accipiendo est, sentire debet.

21 VI. T

Soli recursus interpositioni et introductioni effectus suspensus nec iure, nec summo fine detimento tribui potest.

VII.

Antequam conclusum comitiale pro recursu fiat, tribunalis impugnati informatio ut semper exigatur, aequissimum videtur.


III

(X 228 2109)

ULB Halle
005 458 358

3





DISSE^TTAT^O IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
DEPOSITIONE
IVDICIALI DEBITI CAMBIALIS
PRAESERTIM
EX IVRE HAMBVRGENSI.

QVAM
AVSPICIIS REGIIS
AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQUENDIS
PROPONIT
DIE VII. MART. MDCCXCV
PETRVS AVGVSTVS WIDOW
HAMBVRGENSIS.

GOTTINGAE
SCRIPTIS BARMEIERIANIS.